Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 535
Quelle:
Copyright:



*in faciem christi tui qui tibi usque ad mortem obediens factus est* &c. finitque: *ac benedicat Deum Deorum in syon. Sit inclito ihesu cum deo patre et sancto spiritu* &c.

X. *fol.* 36. *Incipit sermo b. bernhardi abbatis ad Petrum abbatem.* Laus et commendatio Mirabilium Dei in Eucharistia, quae incipit: *Pater sanctissime petre. audi quid loquatur Dominus in pauperculo seruo suo. Rogo tamen, ut ea que audieris pro caritate christi taceas* &c. Vix ita *Bernardus*. Minus, si quid sapio, ita: *tamquam asinus pelle leonis. sic et adam honoris fastigio delectatus intumuit et plane desipuit. Abstractus ergo recto iudicio pelle leonis inuenit se adam asinum fetidum* &c. Denique non ita: *Mordeat fallax sophista linguam. taceant aristotilica argumenta. quia talis* transsubstanciacio *non inuenitur* &c. ut enim C. IX. *Instructionis Sacerdotis de trib. praecip. Mysteriis* seu *Gemmae Crucifixi*, T. V. Opp. *Bernardi* edit. *Maur. col.* 532. legas: *Panis transubstantiatur*, Instructio tamen illa *Bernardi* genuina non est, et quamvis Seculo *Bernardum* praecedente *Lanfrancus* et *Guitmundus* hac expressione usi sint, Ecclesia ipsa *Transubstantiationis* vocem non nisi in Concilio IV. *Lateran.* a. 1215. recepit, *Bernardo* jam a. 1153. ad Superos translato. Interim candide fateor me, quem huic Autorem substituam, ignorare.

XI. *fol.* 43. *Incipit tractatus De reformacione hominis et primo De imitacione christi et contemptu vanitatum mundi.* Primus ex aureis IV. *Thomae Kempens.* Libellis a noto Pentametro incipiens:

*Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.*

distinctus in consueta *Capitula*, et emendate scriptus. Itaque statim se offert Germanismus ille: *Si scires totam bibliam exterius.* &c. *Primum* hunc Libellum, uti et *Quartum* non raro seorsim in Codicibus occurrere, norunt Literati.

XII. *fol.* 57. p. 2. *Tractatus*, ut in calce legitur, *beati Johannis Chrisostomi de hoc quod nemo leditur nisi a semetipso.* Initium: *Scio quod crassioribus quibusque et presentis vite illecebris inhiantibus* &c. Eadem Versio, quae habetur in edit. *lat.* Opp. *Chrysostomi Paris.* 1687. T. V. p. 300. f.

XIII. *fol.* 71. p. 2. *Magistri Joh. Gews* seu *Geyzz de Teyning Viennensis* Academici Decisio negativa Quaestionis: *An in die parasceues vinum infusum in calicem maneat vinum, an post contactum partis hostie consecrate in calicem misse in christi sangwinem transmutetur.* Initium: *Quia nobis consedentibus inter cetera nostre collacionis colloquia questio etiam fuit suborta* &c. Alia hujus Viri dedi *Vol.* I. cujus *Indicem*, si lubet, adi.

XIV. *fol.* 74. *Sermo*, ut iterum in calce, *de Assumpcione beate Marie virg. Beati Jeronimi presbiteri*